


05

A

2414





Q. D. B. V.

EXERCITATIO THEOLOGICA,
DE

QVÆSITIS NON-
NULLIS CIRCA LAPSUM
ANGELORUM,

Et præcipuè ex Dicto
JOHANN. VIII. vers. 44.

Quam
ANNUENTE DEO OPT. MAX.
SUB PRÆSIDIO

DN. PHILIPPI LUDOV.
HANNEKENI,

S. S. Theol. Doct. Ejusdem Prof. Publ.
Elect. Consistorii ASSESSORIS,
IN AUDITORIO MAJORI.

Ad diem XIX. Decemb. Horis Antemerid.
An. M DC XCIII.

Respondendo defendet

MATTHÆUS DAMITZ,

Gedanensis.



WITTENBERG Æ, prelô JO. WILCKII, Acad. Typogr.





05. A 2414





PRÆFATIO.



Circumsonante post lapsum in Pomæriis visu
& aspectu suavissimis Paradisi, terrestris illius cœ-
li, voce Vocantis DEI: *Adam ubi es, Gen. III. 10.*
Protoplasti tremulo hinc & inde oberrantes
gressu vix ac ne vix oculos ad sidera elevare pote-
rant, persentiscentes jam intra semet, maximam

Dei iram, & ventura mala. Et sane rerum Status, quo in Paradiso
fruebantur Lætissimus, in miserabilem admodum faciem est com-
mutatus. Uno momento quicquid aureæ fuit ætatis, in ferream
prorsus est commutatum, & quod in temporalibus erat splendidum
& abundans, in pauperrimam & lamentabilem degeneravit æter-
nitatem. Fugiebant Deum, qui ubiq; præsens. Fugiebant poenam,
quæ illos jamjam circumdederat. Vocanti autem Deo per miseri-
cordiam, qui volebat tantæ Opus Creaturæ prorsus interire, ad
reddendam facti commissi rationem, Adam primus aderat, qui po-
sterior lapsu fuerat. Ille præcipuum culpæ momentum à se aliena-
turus, remediū offendebat in illecebris suæ Conjugis, quæ deside-
rio sciendi omnia accensa, sapere desit. hæc ejus in consortium vitæ
à Deo datæ animum à suavissimâ quiete, quæ fruebantur, abaliena-
vit, nec destitit, donec de fructu, omnium malorum fonte, gustaret.
Cecidit Adam; Quem deicere tota natura cœtera non poterat, de-
jectus est ab adamatâ suâ Costa, secutus illecebras foeminae, in
profundam ignorantiam, voto scientiæ summæ ejectus, incidit.
Primus erat Sapiens & primus pariter delirus. Eva Seducatrix imi-
tatione mariti ad pariles dilabebatur excusationes, meritum culpæ
in seductione suâ dispunctura, *Serpens, exclamabat, decepit me, &
comedi. Genes. III. v. 13.* Ita ratio facti & criminis in Autorem pri-
mum recidebat, vindicante justitiâ Dei in eo malitiam, & condo-
nante seductis miseris hominibus culpam, quos jam ad misericordiæ

invitaverat gratiam. Ita Judex affabatur seductorem, in affatu pariter respiciens seductionis instrumentum, quod naturalis erat Serpens. Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia & bestias terra. Gen: 3. v. 14. Quæ Julianus Apostata, qui rabiidâ semper in veritatem Christianam debacchatus est insaniâ, impudentissimo blasphemôq; ore, sacras Scripturas calumniando, extrusit, meritò damnamus. Si Spectrum dicebat; fuit Serpentis, quomodo inter animalia agri connumeratur. Et siue verus siue simulatus, quomodo mulier Serpentem videns non exhorruit? Loquentem audiens non exstupuit? Si autem Diabolus, cur vocat Serpentem & non potius Diabolum? Et cur Diabolus non suâ aut aliâ sed serpentis specie apparuit? & quomodo Serpenti inflicta est maledictio, quam Diabolus commeruit? Vid. Pareus (a) Qui & dicto loco ostendit, Verba illa Spiritus Sancti ad Veritatis centrum optimè collimare. Cui addi potest Bryan Turner S.T. B. Rector de Soldern. Oxon. in Tractatu suo, de primi Peccati introitu: siue de Lapsu Angelorum & hominum. (b) Item B. Calovius. (c) Audiamus B. Gerhardum nostrum, dicentem: Serpens initio pulcher, benedictus & amabilis, cum quo non homo solum, sed cætera quoq; bestia libenter & cum voluptate (teste Lutbero) vixerunt, sed post Lapsum maledictus est, i.e. factus abominabilis, horridus, venenatus & noxius omnibus animalibus, cum primis verò homini, quem seduxerat, cum quo post Peccatum naturalem habet antipathiam (d). Sed de his similibusq; quæstionibus aliis alibi agitur. Nos præsentem Dissertationem habituri sumus de lapsu Seductoris, non de poenâ ejus, præcipuè consideraturi Emphasin Verborum Salvatoris Joh. IIX. v. 44. Ad quod Oraculum impræsentiarum plenius considerandum mentem nostram dirigimus, Deum T. O. M. humillimè precati, ut conatui felix respondeat eventus, & nos servet in veritate suâ, Sermo enim ejus est Veritas!


S.I.

(a) in Comment. in Genes. cap. 3. v. 1. p. 111.

(b) v. acta Eruditorum Lips. Mens: Nov. Anno 1692. p. 519.

(c) in Comment. in Genes. Part. 1. c. 3. p. 346.

(d) in Comment. in Genes. p. 102.



§. I.

Illum, qui in S. Pandectis planè hospes non est, & qui vel fugitivo tantum oculo, Codicem S. aspexit, vix ac ne vix fugere potest, quàm varia Impostori isti & Seductori hominum, Spiritus S. imposuerit nomina. Aliis autem, quibus insignitur malus ille Angelus, paululum sepositis, proximum est, ut Christum per Johannem, Angelum illum Domini, audiamus loquentem, & breviter eum, sed admodum graphicè, describentem. *Diabolus*, dicit Servator: *non perstitit in Veritate*. Cujus denominationis Veritas si in ullo alio loco, sanè in hoc manifestè colligitur. Judæi certè ansam præbuère, ut Christus in hæc erumperet Verba: Illi Salvatori nostro de Personâ & Officio suo multum differenti, quibus in libertatem spirituales veram vindicarentur, identidem provocabant ad jus Libertatis suæ in Abrahamo gentilitium. Christus docendo non posse esse Filios Abrahamæ, qui non faciant Abrahami Opera, sed habere hos Patrem alium, audiebat quidem obloquentes, se non esse ex scortatione genitos, & habere Patrem in Coelis Deum. Coeterum Servator: si Deus Pater vester esset, diligeretis me, ego enim à Deo profectus sum, & veni; non veni à me ipso, sed ille me misit. Quia autem locutionem meam non agnoscitis esse Patris Coelestis, & ipsam Veritatem; satis aperto documento exhibetis, Patrem Vestrum esse Diabolum, *qui homicida fuit ab initio, & in Veritate non stetit, utpote in quo Veritas non est, de suo loquens mendacii Pater & in mendacia pelliciens.*

§. II. Dicitur autem Diabolus Græcis *Δι'βολος*, item *Δι'βουλεύς*, quod idem est ac Calumniator, Obtrektor, vel secundum *Budeum*, adversarius; unde *Δι'βόλω*, calumniatoriè, criminatoriè. *V. Stephani Thes. (e)*. Descendit autem Nomen Diaboli a verbo *(e) p. 675.* *Δι'βάλλω*, quod est criminor, inculpo, insimilo, calumnior, obtrektor, & ut *Stephanus d. l.* dicere amat: *Calumniis trajicio culpam in alium: Secundum Herodianum Vox illa sumitur pro vitupero, (f) (g) Idem l. 3. in invidiam adduco, odiosum reddo (g) infamiae notam affero (h). c. 7. n. 10. p.* Et huc pertinet Liber *Luciani*, quem inscripsit *ἠὲ τῆς Δι'βολῆς*, 142. i. e. *de calumniâ*, in quo utroq; sensu verbum *Δι'βάλλω* occurrit & *(h) Id. c. 14. calumniandi sive obtrektandi & insimulandi animum denotat. Illud l. 1. n. 10. p. 46.*

A 2

No:

Nomen deinde in Scripturâ S. non tantum malis geniis, sed etiam Hominibus malis tribuitur. Unde Judas Proditor audit Διαβ λ @ Job. VI. v. 70. Sic Paulus Zelo honoris Dei motus Elymam propter calumniam, quam in verbum divinum effundebat, dixit Filium Διαβόλ@ Act. XIII. v. 10. Postremis quoque temporibus homines futuros εἰσδέρ@ & ἀπώνδ@, Διαβόλ@, prædixit Apostolus 2. Tim. 3 v. 3. ita de mulieribus agens, 1. Timoth. III v. 10. Tit. II v. 3. noluit eas esse Διαβόλ@ Calumniatrices. Cur autem malus ille Spiritus sit dictus Diabolus seu Calumniator, illud non minus scite quam verè duplici ratione exponit Alstedius, & quidem primò ab accusatione Dei inquit: quandoquidem Diabolus mentiens, optimum illum, & maximum Deum apud primos homines criminatus est invidia. Gen. III. v. 1. Deinde, quia Demones sunt fidelium Calumniatores & accusatores, tum apud Deum ipsum, tum apud homines.

(i) Est enim ille Accusator Fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Apoc. XII. v. 10 Quia igitur malus ille Angelus non tantum Deum apud homines, & homines apud Deum calumniarum maculis deformat, sed & homines concitat, & à vero Deo, ejusque Religione ac veritate abducit, meritò dicitur Διαβόλ @. V. Flacius (k). Eadem quoque est ratio, cur Diabolus Vocetur Satanas. Habet Vox Satan natales Hebræos; שטן enim significat, Adversarius est, Hostis fuit, impedivit, ex qua deinde radice descendit שטן quod nomen in formâ Ebræa tam in Græcorum quam Latinorum foro sumitur pro eo, qui se alicui hostiliter opponit, vel aperto pugnans Marte, vel occultissimas struens insidias. In S. literis describitur itaque Diabolus, ut stans coram Deo contra Josuam, illum accusans. Zachar. III. v. 1, 2. Et hanc ob causam Cabalistæ duos Angelorum Ordines constituunt, alios enim vocant Advocatos & bonorum Defensores, alios verò Exploratores operum nostrorum & Accusatores. In N. T. in eodem significatu non tantum retinetur Nomen Satanas ut Mat. IV. v. 10. C. XVI. v. 23. Luca. C. X. v. 18 Job. XIII. v. 27. Act. V. v. 3. 2. Cor. XI v. 14. Verum illam ob rationem vocatur etiam Αἰδισ @ 1. Pet. V. v. 8. Ubi ipsius describuntur insidiæ & perpetuum atque internecinum Bellum & Odium cum piis, quando dicitur Leo rugiens, querens

quærit

(i) Alstedius
in Theol.
Scholast. p.
400. Sect. 3.
Reg. 3.
(k) in Clave
Scriptura
Part. 1.



quem devoret. De hebraicâ Nominis Satan derivatione V. Schindlerus (1). Quando verò Diabolus dicitur Δαίμων Daemon, vocabulū (1) in Lexico illud est μῆσον, hoc enim Ethnici & bonis & malis Angelis attribuebant. Proprium maximè illorum Diis, quod patet ex ipsorum Scriptis. Sic in Homero legitur ἄτ Διὸς κίωτος πρὸς δαίμονος. Neq; per Deum iurabo (m). Imò Plato universum Moderatorem (m) Iliad. Deum μέγιστον δαίμονα h.e. Maximum Deorum appellat. Huc T.V. 188. referenda est sententia Isocratis: Τίμα πῶν Δαίμονα. Dicti verò sunt secundum Lantantium aliosq; δαίμονες, quasi δαήμονες & Φρόνιμοι, sapientes, scientes, in qua sententiâ etiam est Rupertus Tuitienfis 1. de Victor. V.D. 26 f. 21. a. scribens: Angeli Diaboli, græcè demones i.e. scientes dicuntur; præsciunt enim multa futura, unde & solent responsa dicere aliqua; inest enim illis cognitio rerum plusquam infirmitati humane, partim subtiliori sensus acumine, partim experienciâ vitæ longissimæ, partim per Dei iussu angelicâ revelatione. V. de his. Johann. Conrad. Dietericum (n). De (n) in Lexico hæc Etymologiâ V. quoq; Flacius. (o) Juxta Lexicon Stephani eo Philologi- Δαίμων est quasi Δάμων, quod significat id quod Latino Vol. 1. latinis, doctus, gnarus, peritus. Observavit idem Stephanus quod p. 214. θεός & δαίμων à Veteribus sæpius sibi opponantur, & maximè (o) Clave ubi de infernalibus Diis sermo sit. Δαίμονες insuper multi Gentiliū Scriptura. appellabant animas & Genios; Imò tales Genios Pagani dicebant esse Filios Deorum, habentes quidem corpora, sed immortalia. Hinc quando Epicurei, & Stoici, Fraudis Oratores, Paulum Veritatis Præconem in Areopago, loco illo, in quo de Criminibus gravibus cognoscebatur, accusarunt, quod annunciet novos Dæmones, exposuit hos Flacius per recens natos Deorum Filios. At enim verò in Scriptura S. non nisi de Spiritibus malis & falsis Dæmon dicitur. Ut Deut. XXXII, v. 17. Psalm. CVI v. 37. Vogelsangius (p) observavit: LXX Interpretes semper sequiori significatu Dæmonia dixere: Non aliam, inquit, fortè ob rationem, quam quia mali ferè Dæmones fuerint, quorum Consilia & auxilia, & Oracula Gentiles mirabantur. Deinde vocatur malus ille Spiritus etiam Belial & Beelzebub: בְּלִיעֵל quod est, absq; utilitate, aut iugo. Quale genus hominum Deuter. XIII, v. 13. describitur. B.

p. 1847.

(m) Iliad. T.V. 188.

(n) in Lexico eo Philologi- co Vol. 1.

p. 214.

(o) Clave Scriptura.

Part. 1. p. 198.

(p) in Exercitat. Theol. Exercit. 23. p. 628. S. 1.



tur. *B. Hieronymus* juxta *Flacium* dixit, Belial idem esse, ac sine jugo: quod commodè Satanæ tribui potest, ut qui defecit à Deo & jugum aut Imperium Dei ferre recusavit. *Nulla igitur omninò est Conventio Christiani cum Belial* juxta *2. Cor. VI. v. 15.* Beelzebub vel Baalzebub Idolum erat Accaronitarum, ut patet ex *2. Reg. I. v. 2. seqq.* Judæis idem ac Deus Stercoris, immutabant enim illi *אל זבוב* nomen illud Beelzebub est conflatum ex *בעל* Dominus & *זבוב* Musca. *Clariss. Vossius* (q) probat: primò Gentiles legisse *בעל זבוב* quæ Vox propriè significat Dominum Sacrificiorum seu Victimarum Israelitas veri Dei Cultores deinde per contemptum appellasse *בעל זבוב* Dominum Muscæ: Sed de hoc Gentilium Numine alii scribunt dictum fuisse Baalzebub, quod à templo in quo colebatur & in quo innumeræ Victimæ mactabantur muscas abigeret, ita ut Fanum illud muscis esset vacuum, ne ab iis sacrificantes infestarentur. *V. Vögelangius* (r). Alii sic dictum putant, quia fortasse Idolum illud apud Eckronitas per Muscam responsa dabat, sicut probabiliter colligitur ex Historia Regis Ahasiæ *V. Vossius l. c. & Job. Conrad. Dietericus* (s). Tandem Paulus Gentium ille Doctor nuncupat illum *κοσμοκράτορα* Principem & Deum hujus seculi. Qui Titulus nulli Imperatori aut Regi conveniens, tribuitur tamen potentissimo Hosti Satanæ. *Ubi tamen mundus sumitur pro hominibus cum Satanâ conjuratis, vel nihil spirituale habentibus, ut loquitur Chemnitius:* (t) Imò Diabolus Deus dicitur, non quod sit verus Deus, sed quia ab Hominibus pro Deo habetur & colitur, ut idem *Chemnitius d. L.* dicit. In oppositione ad Angelos bonos, Diaboli vocantur mali Angeli, item Angeli qui peccarunt, Angeli, qui Originem suam non servarunt. Quamvis Angelus quoad nomen idem sit ac Hebræis *מלאך* Nuncius, Legatus, concludendum tamen exinde non est, quasi Deus Angelorum malorum ministerio in revelandis divinis mysteriis utatur. *V. Hülfemannus;* (u) Et quamvis Deus in puniendis hominum delictis illos adhibeat, tamen non constituit eos in Praecones Verbi sui, quo magis abutuntur,

(q) in Theol. naturali l. 2. C. 4. p. 323.

(r) d. l. p. 631.

(s) in Anti-quit. N. Test. p. m. 162.

(t) in loc. Tb. T. 1. c. 4. p. 110.

(u) in brev. viar. Cap. 1. Thes. 1. p. 5. & 6.

abutuntur, quàm utuntur. Verùm quia in momento Creationis ut Angeli etiam boni fuere nuntii, mala jam annunciant moraliter sive mala moralia docent, non tamen jussu divino, sed ut ex propriis peccatum commiserunt, ita ex suis mala effata producant.

§. III. Existere verò Angelos malos contra Atheos & Epicuræos qui Deum & Angelos negant, contra Sadducæos *Act. xxiii. v. 8.* qui subsistentes esse noluerunt. *V. Hülfeman. (x) Contra Fanaticos, Enthusiastas, qui Diabolos in corruptionem Voluntatis humanæ transformant pravosq; animi motus esse dicunt: V. Gusbert. Voësius (y).* Idem de Aristotele de Avicennâ Averroë & Averroistis affirmat, quod Dæmones nullos agnoverint, sed omnia eorum effecta aut fabulosa esse, aut ad naturales causas reduci debere statuerint. Atq; contra hos omnes dimicant expressa Scripturæ dicta, testantur Diabolorum Opera & Actiones. Quod Angeli conditi sint, confirmat *Psalm. 104. v. 4. Hebr. 1. v. 7.* Ubi dicitur de Deo, quod faciat Angelos suos Spiritus, & ministros suos flammam ignis. Et *Coloss. I. v. 16.* dicitur: *In ipso scil. Christo condita sunt universa in Cælis & terrâ visibilia sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus sive Potestates, omnia per ipsum & in ipso creata sunt.* Speciatim malum Angelum existere probat nostrum dictum, ubi expressè dicitur Diabolus; Et *2. Petr. II. v. 4.* dicuntur Angeli qui peccaverunt; In *Epist. Jude v. 6.* Angeli qui Originem suam non servarunt. Sic Christus à Diabolo tentatus *Matth. IV.* & erunt in judicio extremo *Matth. 25. v. 41.* *Abite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis suis.*

§. IV. Quod illorum Actiones personales attinet, sciunt illi esse Deum: hinc dicitur *Jac. 2. v. 19.* *Tu credis Deum unum esse, benefacis: Dæmonia quoq; istud credunt & horrescunt.* Et *Matth. II. v. 29.* *Quid nobis rei est tecum Jesu Fili Dei venisti huc, ut cruciaries nos ante tempus.* Sed credere, Sermonem edere, cruciatus ferre sunt actus personæ. Sic vinculis æternis sua caligine reservantur *Ep. Jude v. 6.* Hoc quoq; probat effectus, obsessio & alia damna, quibus homines à Diabolo afficiuntur, cujus rei exemplum tristissimum est S. Jobus Vir integer & rectus, Dei Servus, qui fatis superq; Diaboli plagas expertus est. Quid quoq; opus esset

B

admo-

(x) in brev. viar. c. 3.

v. 173.

(y) in Disp. Select. Part.

1. in Disp. de Naturâ &

Operat. Dæmonum §. 3.

p. 910.

admonitione Paulinâ? *Induite universam armaturam Dei ut possitis stare adversus artes Diaboli Ephes. VI. v. 11*, si talis hostis sese nobis non opponeret; Ergò hæc omnia minimè vanis cogitationibus & purisomniis attribui possunt.

§. V. Quoad naturam, quam cum bonis Angelis communem habet Diabolus, dicitur Spiritus dependens & completus. Esse igitur Spiritus, & omnis materiæ expertes, contra Platonicos (z) in *Disp. Select. Part. 1. p. 911.* defendimus, de quibus *Voërius* (z) affirmat; Quod Plato quâsi in *Epi-Sect. 2. q. 2.* nomide materiales fecerit dæmones, & quosdè ad animalia retulerit, quibusdam corpora tenuiora ex aëre, aliis ex æthere attribuerit. Idem de Porphyri sententia, quod Dæmones sanguine hostiarum delectentur, & corpora illorum aërea iis pingvia redderentur. Quæ nam Judæorum hæc de re mens fuerit ex *Grotio B. Qvenstedius* (aa) *v. 463.* exponit. Quam Patres foverint sententiam, Legere est apud citatos Autores *Voërium* & *Qvenstedium*, qui ultimus de Veteribus Hæreticis Messalianis quoq; testatur, illos Diabolum corpore præditum esse constanter affirmasse. E Socinianis, *Schertzerus*, inæstimabile illud Ecclesiæ Christianæ Decus, ad hanc Classem refert *Smalzium*, sibi persuadentem, quod in corpore spirituali Angeli fruantur perfectissimis Voluptatibus. (bb) Idem etiam de Patribus *zer. in Col-leg. Anti-Socinian. Disp. 144. de morte p. 165.* quibusdam sentis *Becanus* (cc). Judicent eruditi, utrumne absq; omni injuriâ commemoratis mereatur accenseri Socius *Clariss. Vosius*, exactissimæ aliàs Doctrinæ Vir, qui, licet non concedat Angelos esse materiales, & habere corpora, quemadmodum Platonici atq; Thalmudistæ fecerunt, tamen eos non planè incorporeos (cc) *In Operibus Tract. 3. c. 1. q. 2. p. 129.* dici non tergi versatur (dd). Qui verò Patrum ab illâ sententiâ discedunt & Angelos meros esse Spiritus atq; ita ἀσώματα perhibent, Catalogum Longâ serie exhibet *Svarez* & *Petavius* de quibus *V. Casparis Schotti Phys. Curiosa.* (ee). Et sanè ipsa Scriptura S. iis suffragatur, Angelorum naturam esse simplicem atq; spiritualem. Sic *Hebr. 1. v. 14.* quæritur: *Nonne omnes sunt administratorii Spiritus?* Et *Luce XXIV. v. 39.* Christus ipsemet docet discipulos suos, quod *Spiritus carnem & ossa non habeat.* (ee) *cap. 2. pag. 4.* Imò Paulus *Ephes. VI. v. 12.* id evincit in his verbis: *Non est nobis Lucta adversus Sanguinem & Carnem (& sic adversus nullum*

COR-

corporale) sed adversus Principatus, adversus potestates, adversus mundi Dominos, Rectores tenebrarum seculi hujus, adversus astutias in Coelestibus. Ad sunt & alia loca, ut Psalm. CIII. Matt. b. II. X. ubi expressè dicuntur Spiritus. Nullus Spiritus habet materiam; & quantum est; nec est Corpus, nec constat ex corporibus; Sed quia omnem omnino materiam respuit, neque spirituale Corpus habere potest. Corpus enim Spirituale ei repugnat. Spiritus sine materia & immaterialis est Ergo nec Corpus Spirituale; per materialitatem & immaterialitatem enim Spiritus & Corpus distinguuntur. Inflet nunc, cuicumque; arridet, Platonis aliorumque; tibias, nostris labiis nunquam accommodandas, utpote quæ nil nisi dissonum sonant, & quod à concordia divinorum oraculorum concentu maxime distat. Certè non parvi ponderis ratio accedit sententiæ nostræ, quod Diabolus & reliqui Angeli omnia Corpora penetrent. Quapropter rectè quoque; concludit B. Calovius (ff). (ff) Tom 4. System. Art. v. 16. Spiritus sint necesse sit, attributum enim Spiritus est invisibilitas. 1. C. 1. q. 1. Quid quod etiam Angeli in uno momento modo hic modo alibi esse potuerint, neque; per aliquam naturæ suæ exaltationem sed conditione propriæ naturæ. Alstedius conatur quidem asserto nostro aliquam affundere lucem, tam ex Scripturæ, quam naturæ lumine per bonam Consequentiam id deducens: (gg) Luca enim II. v. 30. Legitur, integram Legionem Dæmonum possedisse unum corpus; id autem impossibile esse nisi essent Spiritus. Ex natura id probatum ivit, dum ratiocinatur: Nisi Angeli sint simpliciter immateriales mundum non esse perfectum, quippe qui, ut dicit, non haberet omnium creaturarum possibilium genera, que sunt tria si spectes summa capita, videlicet Creature Corporea tantum, spirituales tantum, & mixta ex corporea & spiritali natura! Verùm hæc biga argumentorū cum prioribus ut apodicticis conferri non debet, imò speciatim ultimum Alstedii nihil evincit, licet enim Deus nondum produxisset Angelum, tamen Mundus fuisset perfectus. Nec de necessitate fuit, produci Angelum, quem Deus sine magnâ mundi imperfectione poterat in statu possibilitatis relinqueret.

(ff) Tom 4. System. Art. 1. C. 1. q. 1.

P. 37.

(gg) Theol. Didact. Scholast. Sect. 3. Reg. 3. cap. 3. P. 262.

§. VI. Frigent certè nonnullorum in hoc Controversiæ momento Exceptiones. *Angelos dicunt nonnunquam in corporibus humanis apparere; Alii: Angelos omnes esse in certo loco, quia non ubiq; atq; ita gaudere corpore.* Verùm quod ad primum attinet argumentum, Spiritus ut in sanioribus Scholis docetur, duplici modo Corpus possidet, & quidem partis modo & per naturalem unionem, cum anima illi conjungitur, partim p̄r nudam assumptionem, cum sibi Angeli hominis ex aëre formant Corpus, atq; in illo apparentes varia operantur. Apparitione verò factâ corpus in principia sua resolutum tanquàm Vestimentum deponunt. Posterior, non prior modus de bonis Angelis pariter ac de malis locum invenire potest. Et ita sententia nostra, ut opinamur, firmo nititur talo. Nec valet illud, Angeli dicuntur esse in

(hh) *V. Affelmanni Appendix p. 108. q 2. & p. 109.* certo loco quia non ubiq; (hh) confunditur enim esse in loco, esse in ubi, & esse ubiq;. Angelus non est in loco, quod corpori propriè competit, neq; est ubiq;, quod Dei est, est tamen in ubi, quod aliàs ad differentiam ubiqvitatatis & ubi circumscripti seu loci ubi definitivum dicitur, & hoc non requirit, ut, quod in illo est, corpus sit. Verùm confugiunt Adversarii ad Scripturam & ex *Matth. IV. v. 11. Luc I. v. 26.* probant, Angelos moveri. E. hoc localiter. Ast aliud sanè est *ubi variatio*, aliud *localis ubi occupatio*. Neque aliud obtinent, cum ex S. literis deducunt, quod Angeli comederint & potum hauserint; hæc enim comestio impropria & apparens, non propria fuit, quæ, ut *Thomas (ii)* inquit, est sumtio cibi convertibilis in substantiam comedentis, per facultatem animalem. Rectè Consummatissimus ille Theologus *B. Calovius* hæc de re sentit:

(ii) *p. 1. q 51. a. 3.*

(kk) *Syst. Th. Tom. 4.* (kk) *Quod hic sit agnoscenda analogia; est, uti os & Stomachum habuere, Angeli tantùm secundum similitudinem, non verò quælibet sunt naturalia Os & Stomachus: Ita etiam vera dicitur comestio, sed tantùm secundum aliquam similitudinem, adeoq; à naturali manducatione maxime diversa.* Tandem ad illum locum *Psal. CIV. v. 4.* Tanquàm ad Achillem se recipiunt Adversarii, ubi dicitur: *Facis Angelos tuos Spiritus & flammam ignis;* ex quo teste *Calovio (ll)* concludete conantur, Angelos esse aëreos & igneos. Quâ ratione moti nonnulli

(ll) *in Syst. Th. Tom. 4. d. l. p. 38.*

nulli expressè negant in hoc loco intelligi Angelos. Sic Spanbe-
 mius in dubiis suis Evangelicis dicit: (mm) Sensus Psaltis est non (mm) Span-
 Angelos vel ventorum, vel ignis flammantis specie apparere, sed hem. in dub.
 Deum uti & ventis, & fulgure, & meteoris omnibus instar Angelo- Evangel.
 rum, & suae Voluntatis nuntiorum, vel Deum Angelis suorum judi- Part. 2. Dub.
 ciorum administris, a què liberè uti, ac meteoris quibusvis. Idem 26. p. 311.
 statuisse alios & quosdam Socinianos refert Geierus (nn) & Calo- (nn) in Psal.
 vins, (oo) qui nominatim adducit Zvinglium, item Calvinum, in b.l. p. 1881.
 Bucerum & Marloratum. Reponunt autem illis Theologi no- (oo) in Theol.
 stri locum Ebr. I. v. 7. ubi Apostolus probat in Psalmo illo allegato, nat. & revel.
 intelligi omninò Angelos. Aliud quæritur subsidium in verbis p. 363. edit. in
 Christi: *Discedite à me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est*
est Diabolo & Angelis ejus, Matth. XXV. v. 41. Ad quæ ex Nostra-
 tibus non minoris nominis Philosophi pariter ac Theologi diver-
 simodè respondere solent. Quidam ignem infernale non pro haud
 materiali habent. Alii ut materialem ignem admittentes, dicunt
 agere posse in Spiritus ratione & vi causæ agentis, scilicet Dei &
 divinæ justitiæ, vid. Gerbardus (pp) item Brochmannus. (qq) (pp) in Matt.
 Quæ tandem Conclusio, quia Dæmones sunt Spiritus, E. igne in- (qq) in Sy-
 fernali puniri non possunt, & quia possunt puniri E. sunt corpora? Item. C. 8.
 Hæc enim omnia Legitimo modo procedunt de igne naturali, non Sect. 2. q. 2. p.
 verò infernali, qui Diabolis paratus est, & ita aptus ad agendum in 98. & 99.
 Spiritum.

§ VII. Quemadmodum nunc nullæ Instantiæ nos de Constantiæ
 solo deturbare possunt, ut credamus, Angelos non esse Spiritus, ita (rr) in Sy-
 etiam iterum iterumque eos esse ab æterno, contra Aristotelem, stem. p. 459.
 Photinum, Porphyrium negamus. vid. Qvenstedius (rr). Contra (ss) Cent. 2.
 Gnosticos, Saturnianos & alios, qui in eâ fuerunt opinione, mun- C. 5. de Hære-
 dum ab angelis esse factum. vid. Centuriat. Magd. (ss) Item contra sibus p. 62.
 multos Patres Brochmannus (tt) contra Arminianos, speciatim (tt Syst. The-
 contra Episcopium; vid. Calovius (uu). Contra Socinianos & ol. Tom. 1.
 speciatim contra Volkelium, vid. Calovius (xx). Et tandem Art. 8. c. 2. q.
 contra Vorstium & reliquos, qui Angelos ante mundi ortum con- 3. p. 99.
 dites crediderunt; Verùm quid responsuri sint ad Scripturæ dicta (uu) Armini-
 clarissima non video. Rom. XI. v. 36. dicitur: *Ex illo, scil. à Deo, anism cap. 4.*
 B 3 & 5. p. 141.

(xx) System Tom. 4. Art. 1. c. 1. q. 2. p. 40.

Et per illum, Et in illo sunt omnia. Et Coloss. I. v. 16. 17. Per illum creata sunt omnia, quae in Caelis sunt, Et quae in terrâ, visibilia Et invisibilia, &c. Ubi per visibilia procul dubio corpora, per invisibilia verò Spiritus s. Angeli describuntur. Imò si Angeli non essent creati, sed ab aeterno & aeterni, sequeretur, quod à Deo non sint omnia, & praeter Deum sint Angeli, qui esse suum habeant à se, & qui Deo nullo jure subjecti, quod statuere, qui in Christianorum Scholis educati sunt, non possunt. Et si jam in propatulo est, quod Angeli boni sint creati, etiam de Diabolis, quatenus sunt Angeli id libere affirmari potest, aliàs ut in independentes Dominium suum Deus haud exercere, neque ut peccatores poenâ afficere posset. Quicquid enim aeternum est, independens est, quicquid independens est, non peccat in aliud, & sic nec poenâ posset affici. Diabolorum verò Lapsus tam privativa, quam positiva, ut loquuntur Theologi, insecuta est; Ergò omnino erunt Spiritus dependentes.

§. VIII. Quod ad tempus attinet, conditos esse Angelos non ante mundi ortum probatur (1) quia secundum B. Dannhauerum splendidissimum illud Ecclesiae nostrae Lumen (yy) esse ante principium temporis, phrasi Scripturae idem est, ac esse aeternum; quod elucet ex Psalmo. XC. v. 3. ubi describitur Deus, quod fuerit quum nondum essent montes, antequam formasset terram, orbemq; habitabilem; Sic aeternitas Filii Dei contra Socinianos Prov. IIX. v. 22. evincitur: ubi Spiritus S. loquitur de Sapientiâ inunctâ ante primordia terrae, cum nullae essent abyssi. Ante rerum verò Creationem & terrae primordia, nil nisi aeternitas. Itaque falsum erit quod docet Enjedinus, (zz) Sapienciam h. l. non ab aeterno genitam, sed tantum à seculo formatam dici. Rectius igitur B. Hutterus (a) cum aliis ejus Confessionis Theologis ex eo deducit, phrasin ante mundum conditum significare aeternitatem, quia cum creatione hujus mundi cepit ipsum Tempus. Ante initium verò temporis, mera & simplex regnavit aeternitas. Ergò inquit; Si Angeli ante Creationem hujus mundi exstiterunt, utique ab aeterno fuerunt. Si ab aeterno, utique Deus erunt: Siquidem praeter unum & solum Deum nihil ratione principii vel est, vel fuit, vel erit

(yy) in Hodosoph. Phae- nom. 3. p. 280.

(zz) Explic. loc. fol. 92.

(a) in Locis Loc. 3. de Creatione q. 5. p. 202.

rit unquam aeternum. (2) Genes. II. v.1. asseritur, quod perfecti
sint (in diebus scilicet creationis) caeli & terra & omnis exercitus
eorum. Angelos verò Exercitum Dei vocari, patescit ex Psalm.
XXXIII. v.6. Itaque Angeli intra sex dies sunt conditi, & ita non
ante creationem orbis. Et nisi hoc; sequeretur Creationem esse
multam atque variam; & alio tempore suscepisset Deus Creatio-
nem Angelorum, alio tempore Creationem reliquarum Creatu-
rarum. Sed de hac Creatione ne verbum quidem existat in S. Li-
teris, & sic est figmentum humanum. Contrarium potius osten-
dit B. Calovius (b) quando ex Prov. IX. v. 23. Ubi Salomon Cre- (b) d. l. Sy-
ationem Initium Viarum Domini appellat, argumentatur. Non stem.
E. via Domini multis seculis ante illud initium ceperunt.

§. IX. Quo die autem conditi sint, scrupulosè magis, (c) Loc. de
quam utiliter quaeritur, inquit Gerhardus. (c) Et Menzerus. (d) Creatione
Angelos esse à Deo creatos ex Scripturâ constat, de die autem Cre- p. 6.
ationis ipsorum statuere certè nihil possumus. Quibus accinit (d) Tom. 2.
Brochmannus d. l. Sunt quidam, teste jamjam laudato Gerharo, Operum, in
qui Angelos secundo die creatos & lapsos credunt, & quidem ex solidâ, planâ
hoc fundamento, quia Moses secundæ diei non addidit Elogium: & perspicuâ
Vidit Deus quod esset bonum: Alii conditos esse volunt primo die, repetitione
quos inter est Dannhawerus (e) & alio nitens fundamento Al- quorundam
stedius (f) argumentans, quod primo die Caeli creati sint, Gen. Articulorum
I. probabile esse, Caeli quoque incolas, Angelos ipso die esse A. C. Disput.
creatos. Deinde adducunt locum Job. XXXVIII. v. 4. & 7. Ubi 7. S. 18.
per Filios Dei intelligunt Angelos, hi laudabant Deum cum ille (e) Hodosoph
basin terra poneret manè, & sic primo die. Verisimile est Deus il- p. 280.
los adhibuisse statim ab initio tanquam Contemplatores & Testes (f) in Theol.
universi operis, inquit Alstedius. Et B. Hutterus d. l. putat, proba- Scholast.
biliter colligi posse per astra, Job. XXXIX. v. 7. intelligi Angelos Sect. 3. c. 3.
non Sydera Caeli seu Stellas, quod ha quarto demum die sint Crea- Reg. 4. p. 263.
ta. Et ad argumentum illorum respondet, qui dicebant Ange-
los secundo die creatos; & lapsos esse, quia non expressa essent
verba: Erant valdè bona. Hoc pacto inquit Hutterus, neq; Deus
in Creatione hominis dicere potuisset. Et vidit Deus cuncta que
fecerat, & erant valdè bona.

S. X.

§.X. Quomodo verò creati sint luculenter ostendit dictum nostrum, quando Christus cœlestis illa veritas inquit: *Diabolus in Veritate non stetit.* Ubi tamen Veritas non idem sonat ac Veracitas, quo sensu aliàs in S. Scripturâ accipitur, ut *Dan. VI. v. 12. Johann. XVII. 17. Johann. IIX. v. 45.* Et hoc modo Veritati opponitur mendacium & ore & facto utrumq; committitur. Hæc quidem Veritas erat in Angelo, qui deinceps factus Diabolus, & hujus Veritatis, de quâ in præsentî sermo est, erat attributum. Imò Veritas illa nec Favorem Dei gratuitum exprimit, qualis est *Johann. I. v. 17. Gratia & Veritas per Jesum Christum facta est.* Licet enim in Favore & Gratiâ creatus fuerit, tamen non solum illam gratiam, verùm & justitiam & sanctitatem amisit, & quatenus à Christo recuperata ad illum planè non pertinet, quia à Christo non Semen Angelorum, sed Abrahæ assumptum. Multominùs Veritas justitiam perfectissimam denotans, eo modo quo fuit in Christo, *Job. I. v. 14.* Angelo illi attribui poterit. *Veritas igitur hic Perfectiorem ac Integritatem concreatam & connaturalem significat, vid.*

(g) *Hodosoph. Phœnom. 3. p. 283.*

Dannbæverus, (g) Veracitatem, ut Dannbæverus inquit in Paradiso cavillis & mendacius violavit. Et eo ipso jam Peccatum à Diabolo commissum erat, quod probat modus apparitionis, qui, ut seducerentur eò proclivius homines per Serpentem locutus est. Neque hic præcisè Veritas idem est ac Veracitas verbi divini, sed ut dictum est Imago divina: Hinc inquit *Dannbæverus d. l. Non dicit, scil. Johannes non fuisse in Veritate, sed non stetisse ac perseverasse. Igitur antequam laboretur, habuit Veritatem actu impressam & concreatam ad fidem Deo præstandam & consequendam, (non id quidem meritorie) confirmationis Coronam, & declinandum La-*

(h) *in Ereviar. suo p. 175.*

(i) *Syst. Tom. 4. Art. C. 3. q. 2. p. 382.*

psum, Vires, arma, auxilia. Et *Hülsemannus (h) ex hoc dicto ita concludit: Ergo in Veritate & Bonitate creatus fuit. Quod ex aliis pariter Scripturæ locis confirmatur contra Manichæos, Priscillianistas & alios apud Calovium. (i) Ita legitur in Epistolâ Judæ v. 6. Quidam Angeli Apostata non servârunt Principatum suum (αἰχμήν sive Principium in bono concreato) E. rectè concludit Hülsemannus d. l. à Principio Creationis boni fuerunt. Et*

nisi

nisi hæc ad Veritatis æquilibrium accederent, Deus sanè *Gen. 1. v. 3.* dicere vix potuisset, *quod omnia sint bona.*

§ XI. Quod verò Imaginem illam Angelis communicatam concernit, juvat hic legisse vestigia *Affelmanni*, (k) qui contra *Ti-* (k) *in Syn-*
motbeum Brichtum, negantem Angelos ad imaginem Dei esse cre- *tagm. Part. 1.*
atos, distingvit inter Imaginem DEi consideratam cum Dominio *P. 457. n. 228.*
in Creaturas ordinario & universali, & sic Angelis nequaquam ad- *§ 229. Diss.*
scribi posse censet, benè tamen admittit, quando absque ejusmodi *5.*
Dominio ordinario & universali sumitur, quod ad imaginem con-
diti sint Angeli. Quid quod etiam Dominium illud non fit de na-
turâ imaginis divinæ. Describitur enim in sacris paginis Imago
divina hominibus concessa, quod in justitiâ & sanctitate consistat,
Ephes. IV. v. 23. Coloss. III. v. 10. Non quidem in S. Scripturâ de An-
gelis existat, quemadmodum de homine legimus, quod creatus ad
Imaginem DEi existat; Interim tamen rectè procedimus cum *Al-*
stedio, (l) & dicimus, quod illud per bonam Consequentiam pro- (l) *in Theol.*
betur. Per dicta enim supra allegata evidenter colligitur Perfe- *Scholast.*
ctionem, Sanctitatem & Justitiam ad imaginem DEi pertinere. *Seç. 2 p. 265.*
Nunc verò ejusmodi donis instructos fuisse omnes Angelos extra *cap 3 Reg.*
omnem dubitationis aleam positum est. Imò qui non stetit in *VII.*
Veritate & Originem non servavit, illum Veritatem habuisse & O-
riginem ipsius bonum fuisse necesse est.

§ XII. Quæ Pontificii circa Statum purorum naturalium (m) *T. 1. Oper.*
nugantur: de his vid. *Becanus*, (m) ubi inquit: *Aliqui docent crea-* *p. 139. c. 2. de*
tos fuisse in puris naturalibus, & postea quosdam accepisse gratiam *Angelorum*
propter bonum usum liberi arbitrii, alios non accepisse propter ma- *naturâ.*
lum usum liberi arbitrii. Adduxit *Becanus* illam opinionem ap- (n) *Tract. 2.*
probantes, *Hugonem Victorium*, (n) *Bonaventuram*, (o) Sed *Be-* *c. 2.*
canus eodem in loco dicit: *Angeli mali habuerunt gratiam ante* (o) *in Dist.*
lapsum. Hunc statum purorum naturalium rejecit pariter *Dann-* *4. t. 1. q. 2.*
bauerus, (p) ex *Basilio* dicens: *Angeli non infantes creati sunt,* (p) *in Hodo-*
Deinde paulatim exercitio perfecti, sic ad Spiritum suscipiendum- *soph. p. 284.*
digni facti sunt, sed in piâ compage & veluti massa Substantia pso-
rum Sanctitatis primordia simul acta habuerunt. Et à *Becano*

d.l. nostrum allegatur dictum *Job. IIX.* quod ita exponit: *Lucifer non perseveravit in justitiâ & sanctitate, Quia, ut inquit, mali Angeli fuerunt à Deo ordinati & creati ad beatitudinem supernaturalem, quam obtinuissent, si voluissent. Ergò concludit, habuerunt media necessaria ad consequendam illam beatitudinem. Ergò habuerunt gratiam justificantem. vid. Quenstedius (q) de illis qui hunc Statum purorum naturalium admiserunt. Omnis Igitur status purorum naturalium purum putum figmentum est. DEus enim omne in Creatione producens bonum, non tantum veram atque bonam essentiam Angelis concessit, sed & hominem secundum suam imaginem formavit. Et qualis sit Veritas in quâ conditi sint Angeli patet quoque ex Epist. Jude v. 6. Originem suam non servarunt, quæ verba sæpè memoratus Dannhauerus, (r) Perfectionem, stationem ac mansionem felicem, ac suo modo beatam habuerunt, exponit. Nunc verò si originem non servarunt, & Origo est Veritas omni exceptione major est Conclusio nostra: Statim ab initio Sanctitatem habuisse Diabolos.*

(q) Part. I. c. XI. Sect. 2. q. 5. p. 473. n. 4.

(r) in Hodosoph. Phænom. 3. p. 285.

§. XIII. De Statu Angelorum ante Lapsum variè disputant Scholastici teste Gerbaro, (s) argumentatur enim: *Si fuerunt in Statu perfectionis quomodo ex eo potuerunt excidere? Sin adhuc Creatione & imperfecti cur perfectionem illis denegavit Creator perfectissimus?* Distinctio tandem ab illis adducta absurda non est, quando beatitudinem seu perfectionem acceptam positivè ab Angelo ante Lapsum remonent, & quidem dum per illam perfectionem, teste Gerbaro, nihil aliud intelligunt, quàm Statum perfectum plenitudine omnis boni, & sic includit claram Dei visionem, perfectam fruitionem. Hæc perfectio data est Angelis post Lapsum in Sanctitate persistentibus: concedunt tamen Perfectionem privativè acceptam, & est secundum Scholasticos status privativus, carens omni malo culpæ & poenæ, & habens quicquid suæ naturæ convenit. Ubi tamen nemo sanctitatem & justitiam excludere debet.

(s) in Loc. Theol. Loc. de Creatione & Angelis Sect. XI. p. 9. n. 57. & in Isagog. Loc. VIII. Thes. 15. p. 393.

Atque huic distinctioni, quoad sensum scilicet calculum adjicit Dannhauerus, (t) ubi Perfectionem quidem Angelorum ante Lapsum dicit suo modo beatam, non tamen verè perfectèque gloriosam, quam, ut

(t) in Hodosoph. Phænom. 3. p. 285.

ut inquit, visio beatifica, & confirmationis donum serenat, neutrum gavisi sunt Angeli lapsi.

§.XIV. Quod verò Veritatem illam amiserit Diabolus, testimonio esse possunt verba sequentia dicti nostri Johannæi, **NON STETIT.** Stare autem diversas admittit significationes. Præcipuæ sunt, & huc suo modo spectant, quando stare idem est ac in bono Statu ac conditione esse. Ita enim & adhibetur tum à profanis Autoribus, ut à Cicerone, (u) Principe Eloquentiæ, dicente: (u) *Fam. Eâ die pulchrè stetimus*; tum à Spiritu S. i. *Sam. XXIV. v. 21. Stabit Epist. IV. in manu tuâ Regnum*, i.e. florebit, stabilietur, (Rom. XIV. v. 4.) *Qui stat, videat ne cadat*, 1. Cor. X. v. 12. Sic *Matth. XXIV. 15. Cum videritis abominationem stantem in loco sancto.* Item adducit *Daniel. II. v. 2. Ecce adhuc tres Reges stant in Persiâ & quartus detestabitur supra omnes opibus magnis*, quod ita exposuit Flacius, *potenter & gloriosè Monarchiam obtinent*. Deinde vocabuli illius usus se etiam extendit ad fidem tam humanam quàm divinam. Quoad humanam accedit suffragium Plauti inquentis: (x) *Cum apud te parùm stet fides.* Quoad divinam adduxit Flacius Scripturæ dicta, ut *Exod. 14 v. 13. State & videte salutem Jehovæ* 2. *Paral. XX. v. 17. State & consistite & videbitis salutem Jehovæ vobiscum.* Ex his denique tanquam ex Fontibus fluit, quis sit verborum illorum *Non stetit* genuinus sensus, nimirum idem sonat ac *non conservavit suam Veritatem*, deserere non dubitavit, vel secundum *Jude Epist. v. 6. originem non servavit*, quod Chemnitius, (y) ita exponit: *collocati erant in certâ quasi statione, sed transfuga facti illam deseruerunt.* Huc spectat quoque illud Petri: *Angeli peccantes dicuntur non stetisse, Deus Angelis peccantibus non pepercit.* Peccantibus, h.e. qui peccaverunt 2 *Pet. 2. v. 4.*

(x) Pseudolo act. 1. Sc. V. v. 62.

(y) Loc. de Creatione p. 122.

§.XV. Omne Peccatum est *avouata*, aberratio à lege. Frim Parentibus nostris legem à Deo fuisse latam, quàm minimè observatam peccatum commisisse, Scriptura testatur: Lex igitur Diabolis proposita expressa nulla legitur. Verùm doctè ad hæc Ramburtus responderet, (z) *Certum esse ex jure Creationis obedientiam eos Deo debuisse, ideò inquit, Diabolus à Paulo convenien-*

(z) in Thes. Theolog. qua in Thesauro Theol. Seda- nens. habentur p. 297.



isimè dictus Belial, 2. Cor. VI. v. 15. juxta Hieronymum ita vocatur, qui omne jugum excusit. Aquila vertit ἀποστάτης; LXX. παρανομὸς ἀνομος.

§. XVI. Dicitur in singulari non stetit, & sic de uno, nondum tamen exclusis reliquis: 2. enim Pet. 2. Peccantes dicuntur Angeli, & sic multi, non unus fuit. Et quamvis nunc hoc omni veritate verius sit, quaestiones tamen movent Scholastici: An unus Angelus Peccati autor fuerit, an omnes Angeli simul peccaverint? (aa) v. Ramburtius d. l. p. 297. Gregorius de Valentia (aa) asserit: Angelum unum fuisse Svasorem & Exhortationem factam exemplo; Ita ut ex communi sententiâ Doctorum Angelus primus alios fuerit hortatus hoc ipso, quod affectionem suam intelligibili loquutione eis expresserit, in quam eodem instanti consenserunt alii. Ramburrio quidem d. l. probabile videtur, quod unius svasu commota sit Diabolorum societas, id tamen neque solidâ ratione, neque valido Scripturae documento niti concedit. Hinc Bellarminum asserentem, Diabolum primum & principalem fuisse Angelum refutavit. Verum ipse Ramburtius veritate coactus admittit unum esse Caput Diabolorum (bb) d. l. §. 8. Matth. IX. v. 34. ἀρχὸν τῶν δαιμονίων, Matth. XXV. v. 41. Primarius dicitur Diabolus, reliqui ipsius Angeli appellantur. Sed pergit Ramburtius quaerendo: An Diabolus statim in primâ Creatione multis, vel omnibus Angelis fuerit praepositus: Utrum ad defectionem incitârit, qua vel à minimo potest incipere: Utrum verò post casum hunc sibi elegerint alii, ex Scripturâ non liquet. Ubi ultimum solâ conjecturâ nititur, non verò solido fundamento Apocol. XII. v. 4. Diaboli Angeli Satanæ vocantur; in quo loco Satanus dicitur, quia maximè adversatur Deo, quod Origo fuerit, ejusmodi delicti, alias primariò Satanus dici haud potuisset. Reliqui tantum dicuntur Angeli, qui sanè Principali inferiores, hoc est non primò adversantur. Ille autem primò adversabatur, quod principaliter & primò peccavit. Ergò unus reliquos omnes instigavit. Confirmatur id ipsum per lapsum hominum, qui in Servitutem Diaboli traditi sunt, quia instigationem ipsius secuti, peccatum commiserunt. Ita Diaboli reliqui servituti ejus, qui absolute

absolutè Adversarius dicitur subjecti, siquidem viribus à Deo ipsis concessis Satanæ isti resistere noluerunt. Ideoq; principaliter in Scripturâ vocatur Adversarius, Nequam, Belial, Diabolus, Serpens, Draco, Beelzebub. Quando itaq; in singulari dicitur: *Non stetit.* Principaliter Diabolus Princeps scilicet & Autor Peccati intelligitur, inclusis tamen & reliquis Satanæ adhaerentibus, quos peccata commisisse recenset Petrus. An verò supremus omnium Angelorum fuerit non affirmabo. *V. Calovius (cc). Præter Rambur- (cc) Tom. 4. burrium nobis contrariatur etiam Gisbertus Voëtius (dd) dicens: Syst. Theol. Consequentia non videtur satis solida, quia nunc inter Demones c. 3. de Ange- aliquis eminet, ideo etiam Lapsu fuisse Antecessorem. Nec ex eo lis malis probari concedit, quando argumentantur: Nunc inter Demones p. 313. est unus peior omnibus aliis & graviores pœnas sustinet: Ergo ab (dd) in initio fuit quis Angelus omnium Princeps, qui primus tempore Disp. Select. peccavit, cujus peccatum gravissimum propter causalitatem, quia Part. 1. p. 918. ille à nemine seductus omnes illos seduxit. Respondet enim Voëtius, Consequentiam esse infirmam. Potuisset enim peior fieri incremento malitia, & ab initio per primum peccatum talis non fuisse. Imò de gravissimi peccati pœnâ nihil habere Scripturam. Commentum esse de Lucifero. Verùm huic obviam ivit Calovius (cc) sequentibus: Unde aliàs ista eminentia, nisi quod eminentior (cc) d. l. fuerit conditus à Deo? Unde Angelorum malorum designatur p. 314. princeps, ita ut isti dicantur ejus Angeli, nisi quia eorum Antecessor, aut certè si Lapsi simul sint, supremus inter labentes fuit, quia per Lapsum facti sunt Diaboli. Hic autem καὶ ἰζοχὴν Diabolus & Satanas dicitur. Accedit quod primariò Diabolo pœnæ infernales adscribi videantur, & tunc simul Angelis suis allegato loco.*

§. XVII. Varii aliàs Angelorum constituuntur ordines. Peccantes Angelos *Becanus* dicit (ff) ex omnibus ordinibus fu- (ff) Tom. 1. isse, adducit in suam sententiam Scholasticos & Patres nonnullos *Tract. 3. cap.* (quorum tamen nomina nondum recensuit) affirmantes, homines 4. q. 3. p. 153. assumi ad omnes ordines Angelorum, & in omnibus ruinas eorum restaurari. *Ramburtius* addit, quod asyllum aliquod quaerant eo

loco, ubi homines dicuntur *ἰσχυροί*, & rectè monet, quod hoc dictum non pertineat ad Coetus instaurationem, sed ad conditionem Status & perfectionis eminentiam. Et illam sententiam Scholasticorum esse, & ex illis speciatim *Thoma*, præter *Becanum* affirmat *Voëtius* (gg). Nos potius cum *Calovio* (hh) dicimus: *Multos peccasse indubium est, quia multa sunt Diabolorum legiones, ac diversorum etiam ordinum eos fuisse, nomina ordinum prædicta innuunt, sed de instauratione ordinum per mortem hominum factâ altum in scripturâ est Silentium. Præstat: igitur hæc omnia silentio præterire, quam aliquid temerè asserere.*

(gg) d. l. p. 917.
(hh) Syst. T. 4. d. l. p. 313.

§. XIX. Quo tempore Lapsus Angelorum factus, Autores in diversas scinduntur opiniones. *Ramburtius* in medium producit *Augustinum* aliquando fluctuantem aliquando affirmantem, *Diabolum* ab initio suæ creationis cecidisse. Scholastici quoque hinc & inde disputant: An Angeli peccaverint in primo instanti an verò postea. De quibus *Becanus* (ii) qui rectè sequentem in modo

(ii) Tom. 1. Tract. 3. c. 4. q. 10. p. 157.
(kk) in *Becanum* Part. b. e. poster. Diss. 20. §. 54. p. 462.
(ll) Part. 1. d. l. p. 919.
(mm) d. l. Syst. p. 314.

arguentur: *Job. II. v. 44.* dicitur: *In veritate non stetit. Ergò in primo instanti non peccavit.* *Martinus* tamen in *Becanum* existimat fortius ita probari. (kk). *Si in veritate non stetit, necesse est fuisse instans primum aliquod suæ duposter. Diss. rationis, quo fuerit in veritate.* *Gubertus Voëtius* ita respondet. (ll) *Tempus lapsus non definit Scriptura. Hoc saltem in definitè constat, præcessisse Lapsum Adams.* Opinionem *Eugubini*, quod peccarint primo creationis suæ instanti, & *Disputationes Scholasticorum de tribus morulis seu instantibus, quorum secundo aut tertio demum gratia puris naturalibus fuisset superaddita; & an peccare potuerint primo creationis instanti, ipsis relinquimus.* *Calovius* responsionem adjecit hoc modo (mm) *quomodo in eodem instanti, gratia concreata & peccatum consistere potuere; Et hæc de primo instanti intellecta vult. Qui secundo instanti id factum esse asserunt, Diabolum ultra horam stetisse, affirmant, de quo Calovio teste, nullum in Scripturâ vestigium reperitur. Illud quoque somnium, quando dicitur: Diabolum in hominis seductione demum Lapsum esse, ad Lydium veritatis Lapidem probandum revocavit*

vocavit

vocavit *Calovius*, negans illud ex hoc fundamento, quia ibi locorum tentando expugnavit Evam, ac Diabolum sese esse mentiondo docuit. Episcopo simul se opposuit, qui docuit magno cum errore, Angelos malos non brevi tempore in suo domicilio fuisse; sed diu admodum in eo versatos & diuturnâ tandem rebellionem à Deo defecisse. Falsâ nititur hypothesis, quasi longè ante hexaëmeron creationis conditi ac lapsi fuerint Angeli: Hinc concludit: *Non ergò potest longior mora integritati eorum dari, quàm quæ ab initio creationis intra hexaëmeron factæ, & usq; ad seductionem hominis. Intra hoc tempus lapsus esse oportet, & ante illam seductionem.* Tela oppositionis, quæ prævidere licet, quæq; contra nos pugnant, aut pugnare potius videntur, è Scripturâ petita sunt: Nimirum *Job. IIX. v. 44.* dicitur de Diabolo: *Ille Homicida erat ab initio, & 1. Job. III. v. 8.* ab initio Diabolus peccat. Verùm respondemus cum *Martino* (nn) intelligitur in utroq; loco initium defectiois, non creationis. Conditus enim est bonus: Deinde etiam propterea ab initio peccasse dicitur, quia primum peccati Exordium est à Diabolo: qui jam inde à primo initio suæ defectiois peccat. Imò initium mundi & hominum seductorum intelligitur, non initium Diaboli.

S. XIX. Quodnam Diabolorum primum fuerit peccatum, Controversia est Autorum; Omnium crassissimi sunt qui Scortationem Angelis ex *Cen. VI, v. 2.* tribuunt *V. Ramburtius* (oo). Quam opinionem nonnullorum patrum fuisse, ut *Tertulliani*, pariter *Clem: Alexandrini*, *Lactantii*, asserit *Ramburtius & Vogelsangius*. Hic modò dictus *Vogelsangius* illos ita fermè statuisse censet, (pp) quemadmodum *Peeta* de libidinibus & adulteriis & mortalibus connubiis Deorum suorum fabulantur. Et hanc sententiam, ortum procul dubio habuisse censet ex præsumptione *Platonica* de corporibus geniorum aqueis, igneis, aëreis. Et dicit, quod inde metus *Tertulliani* fluxerit, contendencis mulieres in Ecclesiâ velari debere, ne pulchritudo earum illecebra sit etiamnum bonis angelis ad eas libidinosè adamas. Illam autem opinionem veritati non respondere unico dicto Scripturæ, nimirum *Matth. XXII. v. 28.* ostendit.

(nn) Part.
post. in Be-
can. Diss. 20.
S. 54.

(oo) d. l.
p. 299.

(pp) in Ex-
ercit. Thol.
p. 629.

(qq) in Syst.
T. 4. c. l. p. 315

(rr) in dis-
quis. mag.

l. 2. q. 15. p. 175

(ss) d. l.

p. 153 q. 4.

(tt) in poster.

Epist. Petr.

s. 2. p. 203. q. 4.

(uu) p. 300.

n. XV.

(xx) in Syst.

Tb. Part. 1.

d. l. de C. 1.

Seet. 3. p. 96.

ostendit Calovius (qq) Imò repugnat Spiritualitas, ob quam iidem amoribus mulierum capi aut cum iisdem consuescere nequeunt. In loco verò in medium adducto per filios Dei intelliguntur sancti atq; boni, vel potius & rectius à Sanctis nati atq; progeniti. Neq; nos movet quod hodiernâ adhuc Luce Congressus ejusmodi instituantur, & Dæmones eam ob rationem Incubi vocentur V. Delrio (rr). Ipse enim Delrio nobiscum negat Spiritum sobolem producere posse, quia omnis omninò materiæ expers est. Alii superbiam primum Diabolorum peccatum fuisse censent V. Beccanus (ss) qui ita sentientem adduxit Augustinum, Thomam; Atq; ita plerosq; ex veteribus judicasse docet Gerhardus (tt) adducens nominatim Fulgentium, Lutherum, Ludovicum Vivem in lib. 12. Augustini, & quidem superbiam in eo sitam fuisse censent, quod sibi in suâ pulchritudine & suâ excellentiâ nimis placuerint, alii in eò, quod noluerint pendere à Deo, sed sibi vivere & sufficere, alii in eò, quod voluerint beatitudinem sibi arrogare, suisq; eam, non Dei Viribus assequi, alii in eo, quod voluerint cæteris Angelis præferri, & nulli omninò subesse. Alii in eò quod ambiverint unionem hypostaticam verbi, & voluerint ut illa uni ex Angelorum ordine, puta Lucifero suo Principi conferri debuerit, non homini alicui puta Christo. Hucusq; Gerhardus. Ramburtius d. l. adducit ex Pontificii, qui dicunt, divinitatem appetivisse Diabolum, non secundum æqualitatem, sed secundum analogiam. Imo Ipse Ramburtius d. l. non adversatur illorum sententiæ, qui superbiam Diaboli primum Peccatum fuisse dicunt, inquit enim (uu). Superbiâ Diabolum intumuisse non dubitamus, cum jugum Dei excutere ausus fuerit. Scriptura in genere dicit Angelos peccasse 2. Petr. II. v. 4. Hoc peccatum ita descripsit Christus in Veritate non stetit. Dum enim sublimiorem ambivit conditionem deceptus est, & veram ac beatam stationem amisit. Non Dei, sed sui habuit rationem & in se conversus à Deo recessit, qui est ipsa Veritas. Ex Nostratibus Theologis acclamat Brochmannus, (xx) Verisimile est, inquit: Diabolum merâ Divinitatis affectatione excidisse gratiâ Dei. Liqvere hoc videtur ex tentatione, quia Satan primos nostros parentes à Deo

Deo abduxit, Gen. III. v. 5. & ex perpetuo conatu, quo Dei gloriam in se transferre studet, adeo ut non dubitavit impudens illud os, religiosum invocationis cultum sibi ab ipsomet Dei filio deponere, Matth. IV. v. 9. Voëtius existimat (yy) certissimam hic esse doctam ignorantiam, opinionem tamen de Superbiâ, reliquis dicit probabiliorem. Vogelsangius, (zz) in initio statim dicit: Optimè illos loqui, qui disputant lapsos primùm fuisse malos Demones affectatione Divinitatis. Gerhardus verò, (a) atque Calovius, (b) qui & Tannerum citat, statuunt ex Scripturâ evidenter probari haud posse, quodnam primum Peccatum fuerit Diabolorum, an fuerit Superbia, nec ne? Quod verò speciatim non fuerit affectatio unionis hypostaticæ, clarum est ex ignorantia istius mysterii. Ante lapsum enim nulla fuit in Angelis notitia incarnationis Christi, neque erat futura nisi sub conditione peccati, sic & Angeli hæc omnia, peccatum nimirum futurum ignorabant, quomodo itaque affectare poterant, & exoptare ejusmodi Unionem? Nostræ sententiæ ex Pontificiis album calculum apposuit Becanus. (c) Ex Nostris omnes, speciatim Calovius. (d) Alii ex nostro loco probant peccatum primum fuisse mendacium, verùm ille quidem luculenter ostendit, quod Diabolus autor & causa mendacii primi sit, non verò quod primum Diaboli Peccatum mendacium fuerit. Nos tandem cum Gerardo (e) concludimus, *Johannes 1. Epist. 3. v. 8.* generali vocabulo ἀμαρτία Lapsus Angelicum describit, ex quo colligitur, quod Legem à Deo Creatore sibi propositam fuerint transgressi, quia peccatum est ἀνομία; & Christus in nostro Loco *Job. II. v. 44.* dicit: quod non steterint in Veritate. Ubi inquit Gerhardus, per Veritatem intelligitur tum vera Bonitas, Sanctitas, Justitia ac concreata natura integritas, ex quâ Veritatis amor exortus; tum felicitas concreata, in utraq; enim non stetit, sed ab eâ in culpam & miseriam prolapsus est. Judas in loco parallelo de Diabolis dicit, quod non servaverint, sed reliquerint suum domicilium, per ἀφῆνι intelligunt Originem ac principium. Hinc secundum Gerhardum sensus est: non servârunt originalem suam conditionem, suam justitiam & bonitatem concreatam. Domicilium

(yy) in Dissert. Select. Part. I. d. l. p. 920.
(zz) p. 630.
(a) in Epist. Petri p. 204.
(b) cit. l. System p. 316.

(c) d. l. p. 155.
(d) System. d. l. p. 316.

(e) in Epist. Petri d. l. p. 204.

lium exponunt de domicilio caelesti. Gerbardus rectius ita sentit: quod cum fuerint exercitus caelestes juxta Jehovah Zebaoth in certa statione collocati, transfuge facti illam deseruerint. Imò ipsum Deum intelligi posse censet, à quo per peccatum defecerunt. Ut inquit p. 201. Deus in ipsis voluit habitare per gratiam & intimam praesentiam: sic debebant etiam ipsi in Deo habitare per promptam & constantem obedientiam. Sed hoc domicilium deseruerunt & à Deo Creatore turpiter averfi.

§. XX. De gravitate hujus peccati pariter disquiritur; Scho-
 (f) in Diss. lastici teste Voëtio, (f) disputant & quaerunt: An omnium Pecca-
 Select. Part. tum fuerit aequale, an omnes peccarint ex destinata malitia? an
 1 p. 920. vero aliqui ex errore, ignorantia, seu actuali animadvertentia? Sic
 (g) Tom. 1. apud Becanum movetur Quaestio: (g) An Angeli peccarint ex ali-
 Tract. 3. Cap. qua inadvertentia? Thomistae ex Scholasticis statuunt, non ex er-
 4. 99. p. 156. rore peccatum fuisse commissum, sed ex inadvertentia. Nos di-
 (h) Syst. T. 4. cimus cum Calovio (h) quod lapsi sint Diaboli ex destinata mali-
 d. l. p. 317. tia. Ex involuntaria ignorantia non poterat diabolorum esse
 peccatum aliàs peccatum, illud jam fuisset in illorum natura, neq;
 in ipsorum potestate fuisset, stare in veritate. Neq; ejusmodi in-
 cogitantia vel advertentia concedenda. Contradicit enim opini-
 oni huic Angelorum illorum natura, quae imagine divina exorna-
 ta erat, & cujus virtute optime tenebant, quantum Creatori debe-
 rent. Et poena quae delictum secuta & gravis satis est, probat sua
 sponte ex malitia peccasse Diabolos: aliàs eam poenam haud affici
 potuissent.

§. XXI. Tandem & ultimò quaeritur an decreto divino vel
 an necessitate lapsi sint Angeli, id attribuit B. Hülsemannus (i) al-
 (i) p. 177. in legans Censur. Leidens. in Conf. Armin. Cap. 6. & eod. Cap. Apolog.
 Breviario Calvin. De Marcione affirmat Calovius (k) quod tres Deos constituerit:
 (k) Tom. 4. Summum bonum & invisibilem, imum visibilem & malum, & me-
 Syst. d. l. dium diabolium (l) Manichæos adduxit qui crediderunt illos ma-
 p. 352. q. 2. los esse conditos, item Zwinglium qui absoluto decreto vel repro-
 (l) p. 359. bationi Lapsum adscripsit. Ab his recedere vult Voëtius (m) &
 (m) Part. 1. Diss. Select. nonnulli alii; Inquiens: Causa efficiens Diaboli, quatenus crea-
 p. 914. n. 4.

tura est, seu secundum id, quod Deus illum fecit, est solus Deus, quatenus verò ut Diabolus seu formaliter malus consideratur, & secundum id, quod seipsum fecit, nulla alia est causa efficiens (seu potius deficiens) quærenda extra ipsum. Ipse B. Calovius d.l. (n) adducit Recanum, qui dicit: Diabolus cum mendacium loquitur ex propriis b.e. à se ipso loquitur & in veritate (in quâ initio creatus fuerat) non stetit. Neq; Ramburtius (o) vult admittere Deum esse causam licet Decretum non neget. Distingvit quidem inter Decretum & dicit dari Decretum permissionis, quod hic habet locum, id verò more suorum exponit, quod voluntatis efficacis illud decretum sit. Nos respondemus ad datam quæstionem Deum quidem permisisse Lapsum, hoc est non violento & physico motu Diabolo peccantes retraxisse, neq; permittendo necessitatem peccatum committendi Angelis imposuisse. Nam nisi permisisset, Lapsus Deo nolente factus esset, quod dici non potest, quia nihil ipsi resistere potest, non autem necessitatem imposuit, aliàs esset causa peccati, quia peccatum non fuisset non committendum. Factum itaq; est Deo non volente; Et quia omnia quæ Deus fecit valde bona fuere Gen. 1. v. 31. Opera ejus perfecta Deut. 32. v. 4. Peccata non sunt ex Patre 1. Job, 2. v. 16. Deus non tentat ad malum, nec est apud ipsum obumbratio Lucis & tenebrarum Jac. 1. v. 13. Et itaq; dum odio habet Peccatum non peperit Diabolis, sed catenis nobis &c. 2. Petr. 2. v. 5. Fieri non potest, quin non Deus sed solus Diabolus Lapsus Autor & Causa prima sit. V. Calovius. (p) In nostro quoq; dicto Soli Diabolo adscribitur: Diabolus in Veritate non stetit & ex hoc loco colligit Erachmannus (q) quod potestatem habuerint perseverandi in illâ justitiâ & sanctitate, in quâ à Deo per creationem fuerunt constituti. Jam ergò finimus, & DEO dicimus
GLORIAM.

(n) p. 361.

(o) p. 301.

(p) Syst. T. 4.

Cit. l. p. 360.

(q) Petr. 1.

cap. 2. q. 6.

p. 100.

PHI-

PHILIPPUS LUDOV. HAN-
NEKENIUS, D.

Præstantissimo Respondenti suo
DN. MATTHÆO DAMITZ,
Studiorum successum eventumque prosperrimum
prec.

Quod circa lapsum Angelorum varias moves *Quæ-*
stiones, eo ostendis lectionis varia industriam &
ardens studium Veritatis. Potuisssem de mea sen-
tentia & metodo scribendi identidem aliquid interca-
lare; sed malui tuum sic sisti & aperiri Patronis & Mæce-
natibus studium, quàm meam operam commendari. Et
tolerabilis est in obscuris Quæstionibus, quæ luce revelatio-
nis diâ destituuntur, varians decisio, modo facta tenea-
tur & salva fidei salutaris analogia. Illustre dictum est
Augustini; Divini sermonis obscuritas ad id etiam utilis
est, quod plures sententias veritatis parit, & in lucem
notitiæ producit, dum alius eum sic, alius sic intelligit;
ita tamen, ut, quod in obscuro loco intelligitur, vel at-
testatione rerum manifestarum, vel aliis locis minimè
dubiis asseratur; sive, cum multa tractantur, ad id quo-
que perveniatur, quod sentit ille, qui scripsit; sive id la-
teat, sed ex occasione profundæ obscuritatis, alia quæ-
dam vera dicantur, non mihi videtur ab operibus Dei
absurda sententia. Hæc in talibus, quæ tractas, juvat re-
cordari. DEus faveat tuis conatibus, & studiis optimis
gratiosè benedicat, ut tibi, tuisq̃, & Patria, post decursos
feliciter Academia carceres, multa inde dimanent com-
moda & splendida ornamenta. Scrib. è museo, V. Id. Dec.
A.O.R. MDC XCIII.

ULB Halle 3
003 792 51X




05 A 2414

VD 17







82

D. B. V.
IO THEOLOGICA,
DE
TIS NON-
CA LAPSUM
LORUM,
ipue ex Dicto
, VIII. vers. 44.
Quam,
DEO OPT. MAX.
PRÆSIDIO
PPILUDOV.
NEKENI,
t. Ejusdem Prof. Publ.
torii ASSESSORIS,
DITORIO MAJORI.
cemb. Horis Antemerid.
M DC XCIII.
lendo defendet
EUS DAMITZ,
gedanensis.
elô JO. WILCKII, Acad. Typogr.